ab ipsis seu ipsorum altero auctoritatem habentes in
terris et locis ubi potestatem habent vel habebunt
pro viribus cohercebunt ad eadem beneficia
et officia dimittenda. Item in animas eorum
promiserunt et iuraverunt quod nullo titulo
honoris vel administrationis dignitatis vel of-
ficii ecclesiastici vel mundani per .L. vel per pre-
dictos eis dato utentur sed illum dimit-
tent, quod iidem procuratores et sindici dictis
nominibus dimiserunt. Item omnibus supra-
nominatis in animas eorum promiserunt et iu-
raverunt quod ipsi recipient et amicabiliter trac-
tabunt nuncios et gentes nostras et sancte
Romane ecclesie transeuntes per terras et dis-
trictus predictos ipsosque defendent et pro-
tegent dummodo ipsis scientibus sic alii
transeunt sine fraude. Item promiserunt
et iuraverunt omnibus supra nominibus et
in animas eorum quod ipsi omnes et singulos clericos
et laicos qui pro nobis et ecclesia Romana
de terris et districtibus predictis exstiterint eiecti
tuto redire ad terras et districtus predictos
et gaudere bonis suis libere permittent.
Et insuper quod universos episcopos abbates priores
prepositos decanos archidiaconos archipresbiteros presbiteros
clericos regulares et seculares ecclesias et ecclesiasti-
cas personas et etiam laicos eiectos de dictis
terris gaudere quatenus in eis fuit per-
mittent nec impedient quominus gau-
dere possint omnibus bonis libertatibus
redditibus proventibus iuribus et obven-
tionibus suis in terris et districtibus pre-
dictis et aliis terris et locis eorum iurisdictioni
seu administrationi subiectis nec impe-
dientibus eos in premissis vel aliquo pre-
missorum prestabunt directe vel indirecte
publice vel occulte auxilium consilium vel
favorem ipsosque redire permittent ad
terras et districtus predictos. Item pro-
miserunt et iuraverunt dicti procuratores
et sindici se facturos et curaturos quod ipsi
omnia et singula supradicta per ipsos nomine
quo supra promissa et in animas personarum
dictorum comitum et universitatum iurata et
ipsi comitia et universitates approbabunt in
consiliis generalibus ut moris est solem-

niter congregandis et ratificabunt speci-
fice singulariter et expresse seque ad omnia
predicta et singula observanda et complenda
inde confectis scripturis publicis effi-
caciter obligabunt. Promiserunt insuper
dicti procuratores et sindici nominibus quibus
supra sub pena .XX. milium marcharum argenti
pro qualibet terrarum predictarum ac comitibus
et universitatibus earundem nobis et eidem
Romane ecclesie applicandarum et per singulos
dictorum comitum et universitatum dandarum et
solvendarum totiens quotiens contra
premissa vel aliquod premissorum per ipsos
aliquid factum exstiterit vel etiam at-
temptatum eos observaturos et completu-
ros premissa et singula eorundem ac man-
datis et preceptis nostris et ecclesie humiliter
et efficaciter super hiis parituros. Et licet
nos tunc supradictis recognitionibus confes-
sionibus petitionibus et supplicationibus
intellectis plenius et promissionibus
ac iuramentis receptis de absolutionis
et in integrum restitutionis beneficio su-
pradictis comitibus et universitatibus super
hiis que per eosdem procuratores et sindi-
cos nominibus ipsorum recognita et confessata
fuerunt preter quam a sententiis pro heresi
vel facto heresis latis a quibus pro
parte ipsorum tunc non extitit absolu-
tio postulata sub certa forma contenta
in instrumento publico inde confecto de fratrum
nostrorum consilio duximus providendum
imponendi et iniungendi per nos vel ali-
um seu alios eisdem comitibus et universita-
tibus eorumque singulis presentibus vel
absentibus semel vel pluries ac etiam in-
fligendi quascumque penas et penitentias
pro premissis et eorum singulis de quibus
ac quando et quotiens nobis videretur spe-
cialiter potestate retenta. Et quod predicti
comitia et universitates ipsorum quilibet singuli
omnia et singula per supradictos procurato-
res et sindicos promissa ut premittitur
et iurata infra instantis tunc festum
nativitatis dominice proxime preteritum
in suis generalibus consiliis propter hoc sole-